

- T**ertia pars orbis, fratres, Europa vocatur,
 Moribus ac linguis varias et nomine gentes
 Distinguens cultu, tum religione sequestrans.
 Inter quas gens Pannoniae residere probatur,
 5 Quam tamen et Hunos plerumque vocare solemus.
 Hic populus fortis virtute vigebat et armis,
 Non circum positas solum domitans regiones,
 Littoris Oceani sed pertransiverat oras,
 Foedera supplicibus donans sternensque rebelles.
 10 Ultra millenos fertur dominarier annos.
 Attila rex quodam tulit illud tempore regnum,
 Impiger antiquos sibimet renovare triumphos.
 Qui sua castra movens mandavit visere Francos,
 Quorum rex Gibicho solio pollebat in alto,
 15 Prole recens orta gaudens, quam postea narro:
 Namque marem genuit, quem Guntharium vocitavit.
Fama volans pavidi regis transverberat aures,
 Dicens hostilem cuneum transire per Histrum,
 Vincentem numero stellas atque amnis arenas.
 20 Qui, non confidens armis et robore plebis,
 Concilium cogit, quae sint facienda requirit.
 Consensere omnes: foedus debere precari,
 Et dextras, si forte darent, conjungere dextris,
 Obsidibusque datis censum persolvere jussum;
 25 Hoc melius fore, quam vitam simul ac regionem
 Perdiderint, natosque suos pariterque maritas.

9 donat sternitque G. 11 Etcilo I, und immer so. 15 de te
 recens A. 16 uocitarunt A. 18 hystrum B. ystrum C. 20
 uel B. 23 Et si forte darent dextras I.

1 *